

www.e-rara.ch

Dialogorum Platonis argumenta

Tiedemann, Dieterich

Biponti, MDCCLXXXVI [1786]

ETH-Bibliothek Zürich

Shelf Mark: Rar 2796

Persistent Link: <http://dx.doi.org/10.3931/e-rara-32325>

Menexenus.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

esse lucrum, nullumque, quod sit magis vel minus lucrum, reperiri; quaestum porro omnem esse rem, aut nullis aut minoribus impensis, quam sit ipsius pretium, acquisitam; unde sequi, omne lucrum, sive sit bonum, sive malum, prodesse, malumque revera lucrum esse nullum, Socrates obiicit. In omni praeterea lucro est pretium maius eo, quod est ei impensum, pretium autem quod habet, dignum est quod possideatur, & quod ut acquiratur dignum est, utile, adeoque lucrum omne utile est ac bonum. Efficitur denique, bonos viros probosque omnem expetere quaestum; falsum esse, quod modo dixerat Hipparchus, quaestuosum inde studere lucrari, unde probus nemo facere lucrum cuperet; homines omnes esse quaestus cupidos, neminique verti hoc opprobrio posse. Cum quod his opponeret non haberet Hipparchus, victus dat manus; etsi conclusiones has Socratis non respondere logicis regulis licuisset ei respondere; cum quaestus quidem omnis utilitatis sese specie commendat, non sit tamen omnis honestus, adeoque nec revera utilis, etsi vel maxime utilis ab avaris habeatur; quod enim caret honestate, a vera quoque & omnimoda est utilitate remotum.

M E N E X E N U S.

MENEXENO iuveni adhuc, ad rempublicam nihilo fecius, quod in philosophia ceterisque disciplinis satis iam sibi videretur versatus, accedere iam paranti, Socrates e curia redeunti obviam factus, agitasse Senatum de eligendo, qui defunctorum pro patria laudes oratione funebri celebraret, oratore, ex eo audit: quam rem cum Menexenus admodum iudicaret difficilem, quod ex tempore ferme oratori esset dicendum, magnamque de oratoribus haberet existimationem; non esse admodum difficile respon-

det Socrates, ab iis omne punctum ferre, qui eadem cum oratore sentiunt, laudando, quos auditores cupiunt laudatos; idque ut exemplo demonstraret, orationem recitat in laudem defunctorum, quam audisse se ab Aspasia, ex tempore dicente, affirmat. Quae omnia, ut Platonem credam oratores voluisse pungere, eorumque studia haud admodum esse difficilia ostendere, me inducunt; id quod ipsa etiam oratio videtur confirmare, e locis communibus, quae cuiusvis succurrebant facile, conflata. Est autem partitio eius haec: qui pro patria nunc obierunt, boni fuerunt viri, quod ex bonis sunt orti, quod optime educati, quod denique praeclara multa fecerunt. Partem primam exornatura, in antiquissimas, quasque alibi Plato haud magni facit, fabulas de Atheniensium origine Aspasia exspatiatur; disceptationem illam Deorum, de eo, qui praesideret Atticae, primorum in Attica hominum ortum, fruges primum ibi satas, res Atheniensium gestas, Heraclidas & Argivos adiutos, Amazonas debellatas, Persas victos, & quae sunt reliqua, commemorans; duo vero postrema leviter attingens, exhortatione ad defunctorum posteros, & consolatione subiuncta orationem claudit.

P O L I T I C U S.

PROPOSITUM est Platoni, qualis sit politicus, id est, qui callet artem, qua gubernantur respublicae, & quomodo differat ab iis, qui falso eandem profitentur, definire; quemadmodum in Sophista hunc a vero studuerat philosopho distinguere. Utitur autem eadem, qua in Sophista, methodo, a genere ad species, divisionis ope descendendo, nec absistendo prius, quam accuratam eruerit definitionem: quam methodum obiter saepius tanquam optimam, eam praecipue speciem, quae dichotomia dicitur, commendat.